

DISSERTATIO CHEMICA,  
OBSERVATIONES NONNULLAS  
*CIRCA COMMUTATIONEM ÆTHERIS SULPHURICI  
IN ÆTHEREM MURIATICUM,*  
SISTENS

---

Q V A M

*Conf. Ampl. Fac. Philos. ad Reg. Acad. Aboensem,  
PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT*

*JOH: MAGN: LINDEMARCK.*  
*Philosophiae Magister*

et

*Respondens*

*JOHANNES ERICUS WESSEN.*  
*Ostro Gotbus Stip. Ålfian.*

In Auditorio Majori die X Aprilis MDCCCV,  
H. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

IN  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO DOMINO  
**JACOBO TENGSTRÖM,**  
S. S. THEOLOG: DOCTOR<sup>E</sup> CONSUMMATISSIMO,  
DIOECESOS ABOËNSIS  
EPISCOPO EMINENTISSIMO,  
REGIÆ ACADEMIÆ AURAICÆ  
PRO-CANCELLARIO  
MAGNIFICENTISSIMO,  
NEC NON  
REGII DE STELLA POLARI ORDINIS  
MEMBRO *Splendidiss.*

*SACRUM*

voluit, Debuit  
JOH. MAGN. LINDEMARCK.



DISSERTATIO CHEMICA,

*OBSERVATIONES NONNULLAS CIRCA COMMUTATIONEM ÆTHERIS SULPHURICI IN ÆTHEREM MURIATICUM, SISTENS.*

**N**eminem fugere potest causa diversarum theoriarum, quas sibi in scientia chemica, egregiae hujus scientiae cultores formarunt, qui vel paullulum animo perlustraverit, novercantem mortaliū sortem ita esse comparatam, ut plurima, omnibus fere in scientiis, prius permeent itinera devia, quam in rectam incedant viam. Luculenta hujus rei exempla nobis sistunt variæ Chemicorum sententiæ de natura et generatione substantiæ subtilis, quam ætherem appellare amaverunt, quæ non modo olim, parum adhuc exulta scientia, sed hodie quoque, cum per ipsa ætheris phænomena plurimum lucis scientiæ accesserit, inter se discrepant. Observationes nonnullas circa ætherem in medium, speciminis loco Academicī, prolaturi, speramus, B. L. non ægre laturum, nos omnium primo,

A

diver-

diversas, quas de formatione ætheris sibi formarunt Chemicæ, theorias leviter adumbraturos.

### § I.

Cum innotesceret Chemicis phænomenon illud singulare, quo per distillationem acidi fortioris cum Alkohole sive spiritu vini rectificatissimo obtineretur liquor fragrantissimus et acore destitutus, naturæ maxime conveniens ejusdem explicatio videbatur, quod partes acidæ et corrosivæ ab oleofis alkoholis partibus ita involverentur atque obducerentur, ut pristinam suam indolem deponerent. Similis enim hæc mutatio putabatur esse iis frequentissime antea observatis, quibus caustica quævis corpora sive acida sive alkalina, per accessum inflammabilium mirum in modum mitigarentur. Sic naphtam, ætherem, spiritus acidos dulcificatos oriri ex simplici conjunctione acidi cum alkohole, et diversitatem venire ex majore vel minore propensione eiusvis acidi, telle cum alkohole combinandi putarunt, antequam hac quoque ex parte scientiam chemicam augere anniteretur Illustris apud Gallos MACQUER. Hic vero existimavit, mutationem alkoholis oriri ex privatione ipsius aquæ, quam sibi arripere acida fortiora valeant. Quæ theory non sene levibus inniti fundamentis primo intuitu videtur. Testante enim experientia scimus illam qualitatem, aquæ connubium lubentissime ambeundi, inter generaliores acidorum locum sibi vindicare a), et cum pro evicto haberetur, aquam in alkohole essentialem constituere partem, dubitate vix convenit, quin acidum cum alkohole mixtum, vi attractionis suæ ad aquam, hunc magna aquæ suæ parte priaret, ipsumque hoc modo, qua naturam suam, oleo magis magisque similem redderet. Addit rodus huic senten-

tentia observatio, quod illa maxime acida ad producendum ætherem præ ceteris apta sint, quæ aquam avidissime appetant. Hancce sententiam experimentis quibusdam, ætherem parandi gratia institutis, probare conatus est MACQUER. Commixcis enim in vase retorto æqualibus partibus alkoholis atque acidi sulphurici, præposito recipiente lutoque obturatis juncturis et admota igni retorta, inventit primum emanare spiritum vini svave odorantem, qui nihil ab ipsa alkoholis natura amisisse videbatur; continua vero distillatione muratisque recipientibus ætherem profluere, qui secundum ejus sententiam nihil aliud est ac spiritus vini, majori aquæ suæ quantitate privatus. Deinde emanare observavit liquidum quoddam, oleis I. d. distillatis simillimum, quod sub nomine olei dulcis vini apud Chemicos venit. Hinc jam MACQUER conclusit, acidum primo momento tantam in alkoholem exercere non potuisse vim, ac secundo atque tertio, idque eam ob causam, qvod, aucto caloris gradu, augeri etiam debeat attractio inter acidum et aquam in alkohole latentem. Hinc ex sententia MACQUERI pleno alveo fluere videtur, ætherem esse corpus quasi medium inter spiritum vini atque oleum b). Neque tamen prorsus improbabilem censem eorum esse opinionem, qui partem ipsius acidi ad constituendum ætherem necessariam esse judicaverunt. Alii rem alio modo explicatam voluerunt statuendo, quod in oleosam potius quam in aquosam alkoholis partem agat acidum c), itaque adoptato, pro phænomenis corporum inflammabilium explicandis systemate pneumatico, hujus sententiæ fautores assuerunt, oxygenium, quo quodlibet acidum gaudere creditur, partem alkoholis urere, adeo ut resultet liquor oleo magis similis: hi pro stabilienda cor-

b) Macquer Diction. de Chimie. pag. 82.

c) Baumé Exper. Chymie, item Crell n. Entdech. 7 Th. p. 259.

roborandaque sua sententia experimentis insistunt, quibus facillime ex acido nitrico, vix vero ex acido muratico nisi oxygenato, obtineatur æther. BERTHOLLET, qui ex experimentis a se institutis satis demonstratum putat, alkoholem compositum esse ex oleo volatili, quod conjunctum sit cum Saccharo, hydrogenio et haud exigua portione aquæ, urget: ætherem separari, oxygenio con-nubium ineunte cum parte hydrogenii atque olei. Cum jam acidum quoddam, cuius oxygenium se cum hydro-genio atque oleo conjugere potest, alkoholi additur, par-tes alkoholem constituentes solutas depræhenduntur. Hydrogenii namque copia unacum subtilissima parte olei volatilisatur et abeundo partem acidi adhibiti quamvis exiguum secundum trahit, reliqua vero olei pars, per oxyge-nium inde separatum minus subtilis ac volatilis facta, unacum saccharo plus minus usto in retorta manet <sup>a)</sup>. In-ter eos vero, qui maximo cum ardore pro decompositio-ne acidorum sub formando æthere certarunt, jure meritoque numeramus DABIT. Contendit hic, oxygenium acidi necessario sese cum hydrogenio alkoholis conjugere; atque ope hujus conjunctionis aquam formari et alkoho-lem in ætherem, acetum oleumque dulce vini converti <sup>e)</sup>. Cum illo, aliisque eadem asserentibus D. D. FOURCROY et VAUQUELIN se conjuncturos fore, eo minus est speran-dum, quo evidentioribus experimentis adverstarios suos refutaverint testatumque fecerint, acidum sulphuricum ne minimam quidem partem sui oxygenii perdere, dum ge-netur æther, quamobrem modum quo formetur æther explicatur, rejecta priori theoria aliam sibi formarunt censentes, vim acidi in eo sese extiterere, quod partes con-stitu-

<sup>a)</sup> Memoires de l'Acad. de Paris 1785, item Crel Ann. 1791, 2.

B. p. 81.

<sup>e)</sup> Ann. de Chimie T. 24.

stiturivas aquæ, hydrogenium puta et oxygenium simul ex alkohole sibi attrahat, unde ditior carbonio evadat liquor f).

### §. II.

Numerum haud exiguum supra allatarum diversarum theoriarum intuentes, facilime ad eam fovendam fenteritiam: nondum veram de formatione ætheris theoriam inventam esse nedum stabilitam, seduceremur, nisi proprius examinantes phænomena, quibus suas Chemici superstruxerunt theorias, videremus, eadem prorsus diversas ætheris species respicere g). Varia acida varios in medium proterre ætheres nulli dubitamus asserere, et in hoc quid miri videre non possumus, dum radicale in unoquoque acido plane diversum respicimus; sed adeo oppido clarum unicuique videri non potest, unum idemque acidum variis generare ætheris species, quod quidem experientia minime contrariatur. Exempli causa experimenta, quæ ansam dederunt controversiæ inter DABIT ab una et FOURCROY ac VAUQUELIN ab altera parte gestæ, diversas horum theorias de formatione ætheris respicientis, in medium proferre sufficiat. Utinque æquales sumserunt partes alkoholis atquæ acidi sulphurici, excepta illa differentia, quod DABIT dimidium ponderis totius mastæ addiderit oxidi manganesii, ambo pari modo operati sunt, ætheres quidem ambo obtinuerunt, inter se vero haud parum discrepantes. Instituto examine analytico, principia, quæ in causa forent diversitatis horum ætherum, cognoscendi gratia, oculum Illustris: Fourcroy acutissimum fure

f) Crel Ann. 1798. I. B. p. 400 — 411. Ann de Chimie T. 24. T. 34. T. 38. T. 43. item n. allgem. Journ. de Chimie 2. B. 2 Heft p. 206.

g) Amburger in Crel Beyträge I. B. 3. Heft. p. 13.

gere non potuit, ætherem methodo D. Dabit præparatum majorem continere partem carbonii atque oxygenii, minorem autem hydrogenii, quam quæ convenientiaætheri ex alkohole et simplici acido sulphurico parato h). Æther D: i DABIT omni proportione in aqua fuit solubilis, æther vero FOURCROY decupla hujus opus habuit, antequam solveretur. Prioris odor acris ingratusque fuit, minime ætheris sulphurici odori similis, posterioris vero fragrans livavis ac gratus. Nescio an major unquam inter duos ope ejusdem acidi paratos ætheres existere possit differentia, saltem eosdem diversas esse species ejusdem generis autumantes, a veritate longe aberrare non videbimus. Recte itaque iudicarunt FOURCROY et VAUQUELIN, quorum sententia facile cum theoria MAQUERTI conciliari posse videtur, statuentes acidum sulphuricum nec commutatum neque parte sui oxygenii privatum fuisse, dum in ætherem converteret alkoholem; nam profluente æthere, nullum invenerunt hi vestigium acidi sulphurosi, quod certe se manifestasset si partem sui oxygenii perdidisset acidum; verum enim vero, cessante ætheris emanatione, auctoque caloris gradu, omnium primo odor ingratus, cui lutum quamvis optimum frustra resistit, satis superque indigitat, parte sui oxygenii privatum esse acidum sulphuricum, quæ pars oxygenii sese cum oleo vini dulce, hocce momento guttatum stillare incipiente, forsan conjunxit, quam quidem sententiam FOURCROY ipse fovere videtur i). Neque minus recte de oxygenatione alkoholis illi iudicare videntur, qui phænomena ætheris, per acidum nitricum vel per acidum muriaticum oxygenatum producti, consideraverunt. Sed hi omnes minus fragrantes, aut acriore quodam odore præditos ætheres obtinuerunt, cuius

h) Annales de Chimie T. 34. p. 328.

i) L. c.

cujus phænomeni absque omni dubio in causa fuit oleum vini dulce quod sese ætheri immiscuit. Sic per acidum sulphuricum quoque acre oleum demum obtinetur, dum oxygenium suum illud dimittit.

### §. III.

Nihil vero nobis judicantibus rem adeo extra omnē dubium ponit ac variæ methodi, quibus ætherem muriatricum confidere conati sunt chemici. Vestigia quidem inventionis hujus ætheris in veterissimis auctoribus invenimus. Tacemus qvæ hac de re RAYMUNDUS LULLIUS, ISAACUS HOILANDUS aliisque obscuri ævi auctores obscurè satis locuti sunt. Magis vero perspicue BASILIUS VALENTINUS sequentibus verbis sermocinatur: *Quod si spiritus salis (h. e. acidum muriaticum) communis cum spiritu vini unitur et terna vice cohobatur, tum dulcescit et amittit acorem suum*<sup>k)</sup>. Præparandi modum fusius sequentibus verbis adducit: *Recipe spiritus salis optime depblegmati partem unam, spiritus vini rectificatissimi partem semis, abstrabe fortiter per alembicum ad siccitatem, buic adde iterum semis spiritus vini, abstrabe adhuc fortius, tum iterum partem semis spiritus vini adjice et igne adhuc majore abstrabe, postea banc mixturam putrefactioni expone per dimidium mensem in leni calore balnei, vel donec omnia dulcificata fuerint*<sup>l)</sup>. THEOPHRASTUS PARACELSUS in *Chirurgia magna* jubet spiritum salis cum ana spiritus Vini per Retortam quinques cohobare. HARTMANNUS in notis ad CROLIUM p. 257 ait: *Spiritus salis dulcis tantum fit per spiritum vini, sive ab initio cum sale distillando conjugatur, sive postea spiritus salis cum spiritu vini*

<sup>k)</sup> Von dem grossen Stein der uhralten Weisen. Basil. Valent. Chymische Schriften. Hamburg. 1677. I. Th. p. 82. Latipam versionem e tractatu Pottii de acido salis vinose mutuavimus.

<sup>l)</sup> von Sulphure Solis I. c. 2. Th. p. 284.

\* \* \* \*

vini saepe cohobando distilletur, sic acrimoniam a spiritu salis auferret eumque subdulcem reddit. Hollandus quidam nomine MAETS, eundem sequenti modo obtinere putavit effectum: Spiritum vini rectificatissimum affudit sali communi, eique postea acidum vitrioli adjecit et distillavit, adeo ut unam libram salis in aqua fervente solverit, eique tres libras spiritus vini rectificatissimi et posthac unam libram acidi vitriolici adjecerit, tum per retortam distillationem adornaveit, quo facto prodiit 1:0 spiritus vini, 2:0 phlegma abjecendum, 3:0 acidum muriaticum quod cum primo spiritu vini cohobando uniri debet. Methodum in medium protulit Cel. POTT, quam elegantem nominare in dubium non revocavit: ea eam itaque. Si ad quattuor, inquit, partes salis armoniaci in retorta tubulata duas partes acidi vitriolici adjiciantur, mixtura stilo vitro bene agitur, quo æqualiter omnia humectentur, in recipiente vero 6. 8. vel decem partes spiritus vini rectificatissimi præpositæ contineantur, ut in eum Acidum salis postea propellatur, nam oleum vitrioli cum sale urinoso speciem salis armoniaci secreti constituens, spiritum salis mediocri etiam igne ex sale armoniaco exsulare jubet, et hic ut et ille, qui ex spiritu salis fumante immediate cum spiritu vini commisso prodit, post abstractionem in residuo salini quippiam relinquunt, quod reliqui minus faciunt <sup>m)</sup>. GLAUBERUS vero aliam plane methodum commendat, dum distillationis loco spiritum salis dulcem cum spiritu vini paratum aliquoties sub alembico refrigeratorio comburere jubet, addendo nempe 4—6 partes spiritus vini rectificatissimi ad unam partem spiritus salis, quam incendit, idque cum recenti spiritu vini aliquoties repetit, quo sic sufficienter dulcificetur. Sed neque veteres Chemici eo contenti fuerunt, ut ex acido

---

<sup>m)</sup> Pott de acido salis xinense Bocel. 1739. p. 113.

acido muriatico puro, per alkoholem dulcem spiritum pararent. Varios enim muriates metallicos eos adhibuisse invenimus. Sic BASILIUS VALENTINUS *n*) miras laudat vires liquoris ex butyro antimoniī (muriate antimoniī) cum spiritu vini rectificato obtentī. SALOMON TRISMOSINUS in vellere aureo p. 2 — 6 aquam, qua aurum resolvi possit, parare docet ex mercurio sublimato (muriate Hydrargyri) et spiritu vini. PARACELSUS quoque mixturæ butyri antimoniī cum spiritu vini mentionem facit *o*), et GLAUBERUS muriatem zinci cum spiritu vini rectificatissimo mixtum, oleum hujus separare tradidit *p*). Vestigia vero veteris ævi Chemicorum calcantes recentioris ævi chemiæ cultores invenerunt, acidum muriaticum non solum difficillime cum spiritu vini uniri, sed etiam valde parum mutari et loco veri ætheris, dulcificatum tantummodo acidum salis productum fuisse, nisi acido muriatico cum substantia quadam metallica coniuncto, ope cuius acidum salis communis oxygenaretur, usi sint *q*). Methodo semel inventa atque adprobata, varii varia adhibuerunt muriata metallica. Quosdam horum in medium proferre e re non erit. COURTANVAUX *r*) primus adhibuit muriatē stanni oxygenatum, sive spiritum fumantem Libavii, quem quidem ducem secuti sunt omni cum successu SPIELMANN *s*), ERXLEBEN *t*) et denique KLAPOUTH *u*) qui paravit ætherem vitriolico simillimum per liquorem fumantem Libavii.

B

NEUMANN

*m*) Pott de acido salis vino Berol. 1739. p. 113.

*n*) TriumphWagen des Antimonii I. c. I. Th. p. 418, 419.

*o*) Pott I. c.

*p*) Furni Philosophici p. 1.

*q*) Historiam succinctam horum conaminum ad annum 1780 attulit Gmelin in Crells Chem. Journ. IV Th. p. II — 30.

*r*) Mem. des Sav. Etrang. T. 6. p. 612.

*s*) Institut. Chemicæ 1763.

*t*) Anf. Gr. der Chemie 1775. S. 272.

*u*) Crell Ann. 1796, I. B. p. 29, 99.

NEUMANN *v.* BAYEN *x)* de BORMES *y)* et GÜNTHER *z)* etiam ætherem pararunt per muriatem Zinci. WESTRUMB vero obtinuit oleum acre per acidum muriaticum oxygenatum.  
*a)* V. MONS, ætherem muriaticum conficiendi caussatum successu adhibuit muriatem ferri et muriatem manganeſii *b)*. WIGLEB et FIELEBEIN ex acido muriatico simplici se obtinuisse verum ætherem nulli dubitarunt aſſerere.  
*c)* BASSE et GEHLEN, quorum vestigia nos optimo cum eventu calcavimus, verum ætherem muriaticum ex acido muriatico simplici, aqua privato, et alkohole obtinuerunt *d)*.

## §. IV.

Qui ad theorias supra allatas animum attendit non negligentem et incuriosum, neqve animadversionem ejus effugere potest, et diversitas modi operandi et acidi ætheri præparando intervientis. Quod ad theorias medii ævi Chemicorum atinet, de illis hocce ferre judicium e re non esse videtur illas, quamvis valde mancas et imperfectas, attamen intentioni auctorum quoad partem respondisse, quoniam alia ac dulcificatio acidi cuiusdam, vel ut tolleretur acrimonia in acido latens, hæc non videtur.

*v)* Praelectione Chemicæ Lips. 1737.

*x)* Mem. de Paris 1774. T. 4.

*y)* Mem. des Sav. Etrang. T. 6: p. 612.

*z)* Göthl. Taschenb. 1778, p. 60. Crell. Entd. 7 Th. p. 81.

*a)* Crell. Entd. 4 Th. p. 58; 5 Th. p. 84; 6 Th. p. 101; 7 Th. p. 17, 88; 8 Th. p. 28, 82; 12 Th. p. 3. Ann. 1784. 2 B. p. 339. 1786. 1 B. p. 118: Westrumb. Physic. Ch. Abb. 1 B. 2 Heft.

*b)* Annales de Chimie Th. 26. Th. 34. Crell Ann. 1800 p. 317.

*c)* Crell. Entd. 6 Th. p. 149; 7 Th. p. 67.

*d)* V. Mons Journ. T. 4. p. 86; Crell Ann. 1801. 1 B. p. 301. Scherer Journ. 7 B. p. 42. 9 B. p. 180; N. Allgem. Journal der Chemie 2 B. 199 — 206.

detur fuisse. Theorias recentiorum Chemicorum animo perlustrantes attento, illas æque diversa respicere phænomena, ac diversæ sunt methodi et materiæ adhibitæ, invenimus. Vidimus enim adhibita fuisse acida simplicia itemque acida oxygenata, attamen non desunt illi, qui se eadem observasse phænomena, adhibitis quamquam diversimode oxygenio modeficatis acidis, urgere nulli dubitant. Rem vero justiori ponderantes lance invenimus, tantum inter ea intercedere discriminis, ut a veritate longe aberrare minime videamur, sequentia ex allatis deducentes corrolaria.

1:o Ubi acidum muriaticum oxygenatum adhibitum fuit, plerumque productus fuit æther acrior, oleis æthereis similior, talis ac per acidum nitricum, sèpius quoque ætherem nitrosum odore referens.

2:o Ubi acidum muriaticum vulgare experimentis interviit, fragrantior semper fuit æther, volatilior et dulcior.

3:o Itaque patere videtur, ingratitudinem illam, quæ ætheri per acidum muriaticum producto sèpissime adhæret, venire ex oxygenio acidi, quo pars quædam alkoholis combusta fuerit, atque 4:o Nullam oxygenationem peragi, eamque neque esse necessariam pro vero æthere parando.

## §. V.

Ætheres sine ope oxygenii parari posse, adeo jam in aprico positum est, ut cum iis, qui hoc urgeant, facere nulli dubitemus; eosdem vero omnes esse ratione qualitatum similes minime assenseremus; verum enim vero magnam etiam inter eos intercedere differentiam veritati magis consentaneum videtur. Horum diversitas itaque in oxygenio neutiquam est querenda, sed ex diversitate acidorum, illos producendi gratia adhibitorum necessario derivanda. Explicationem quam nobis tradiderunt Gallorum laude dignissimi Chemici, FOURCROY

et VAUQUELIN e) ambabus non possuntis non amplecti manibus. Experimentis edocti scimus, diversa acida diversa etiam gaudere attractione ad aquam; adeo ut illud acidum quod majore gaudet attractione, majorem sibi assumat partem elementorum in alkohole latentem aqueorum, ac illud, quod minorem habeat attractionem, sibi assumere valeat. His concessis, difficile tamen erit explicatu, quomodo diversa acida, pro diversa solummodo attractione ad elementa aquæ, id efficere possint, ut interdum plus, interdum minus ex hisce ablumatur; sed totam illam difficultatem evanescere videmus, si pro certo habeamus, eadem, acida puta, simul per suam associationem diversitatem producere, ratione odoris, fragrantia, volatilitatis atque dulcedinis. Neminem, aliquid acidi adhibiti in æthere semper latere, dilucidius demonstrasse, ac demonstrare conatus est SCHEELE, pro certo habemus. Paratis enim ab eo diversis ætheribus, institutaque accuratissima rectificatione, ope cuius omnes acidi in æthere latentis particulae exsularentur, invenit tamen, examine cum æthere vitriolico instituto, eundem solutioni terræ penderosæ immisum, limpitudinem liquoris turbare f), certum indicium acidi sulphurici præsentia. Priori experimento haud dissimile cum æthere muriatico in solutionem argenteam immiso, instituit, quam quidem valde lactescensem facere poruit æther, utpote acidi muriatici portionculam in sinu fovens. Hæc dudum allata, me judice testimonium certissimum, de præsentia acidi ætherem producendi gratia adhibiti, ferunt, illudque in eodem partis i star constitutivæ ingredi. Idem quoque experimenta, a nobiliss. Comite LAURAGUAIS instituta demonstrant: hic enim observavit, unum ætherem in aliud mutari posse per

e) Ann. de Chemie T. 23. T. 24.

f) Kongl. Vet. Ac. Handl. 1782.

per additum acidum diversum g). Rem sese ita habere  
monet etiam Crell h).

### §. VI.

Sed neque hæc theoria omni caret difficultate. Obstat enim namque videntur experimenta Celeberrimorum Chemicorum GMELIN et KLAPROTH, quibus patefactum est, ætheres vel ope acidi muriatici, sine adjumento oxygenii, vel per acidum fluoricum, in quo nondum comperta fuit facultas oxygenium sibi adjungendi, paratos, in omnibus tantam similitudinem cum æthere sulphurico habere, ut vix ac ne vix quidem ab hoc dignosci possint i). Hinc itaque liquide apparere videtur, aut nihil ipsius acidi in experimento adhibiti partem ætheris producti efficere posse; aut revera in acidum sulphuricum transmutata fuisse tam acidum muriaticum quam fluoricum. Sed hæc transmutatio acidorum nulla se nobis insinuavit probabilitate, quia in nullum aliud phænomenon hucusque cognitum quadrat; quapropter deferendam putavimus hypothesin nostram supra allatam, si modo omni ex parte fidia esset observatio Chemicorum modo laudatorum. Ad fidem pronum nobis visum est, interesse inter ætheres illos ceteroquin simillimos, aliquid discriminis, quod hic usque aciem fugerit Chemicorum, et hoc quidem in ipsa acidorum adhibitorum diversitate querendum esse judicavimus. Ad hoc investigandum aptissimum existimavimus esse accuratius examen phænomeni a LOWITZ primum detecti k) quod scilicet longe subtilior, et secundum sententiam ejus purior evaderet æther sulphuricus, cum su-

per

g) Hist. de l'Acad. de Paris 1759.

h) Crell Journ. 2 Th. p. 62.

i) Crell Journ. 4 Th. p. 11, Ann. 1796. I B, p. 199, Allg. Journ. de Chem. 2 B. 3 Heft. p. 351.

k) Crell Ann. 1796. I B. p. 429 seqq.

per muriatem calcis probe siccatum abstraheretur. Sic enim rectificatus æther levitatem specificam obtinuit superiorem, quam qua unquam aliter comparuerit æther Sulphuricus, quæ vero nondum alii ac ætheri muriatico competere viderunt Chemici. Propterea suspicati sumus, per hanc rectificationem reapse in muriaticum converti ætherem sulphuricum, atque veram horum differentiam dependere a tantilla quantitate acidi in singulo eorum latentis. Itaque quo nobis pateret veritas, sequentia instituimus Experimenta.

### §. VII.

Omnium primo nobis fuit cordi, ut materias huic operi necessarias haberemus suffcienter rectificatas et, ut ajuant, dephlegmas. Eum in finem, ut spiritum vini rectificatissimum obtineremus, quatuor cantharos vini combusti haud infimi gradus sumsimus, quam quidem quantitatem 1:o admixa tertia parte aquæ supra ignem modicum distillavimus, et ex quattuor modis tres tantum accepimus. 2:o Hos tres prima vice profluentes modos, iterum super pulverem carbonis antea bene usci, distillare curavimus, quo materias vino combusto forsan adhaerentes heterogeneas plenius afferremus, hac autem vice non ultra duos recepimus cantharos. 3:o Hocce distillatum denique super muriatem calcis, optimi instar medii aquam separandi, in vas retortum infusum distillare haud reculavimus, illa vero nocte unum atque dimidium fere accepimus modum spiritus vini sive alkoholis, adeo rectificati atque aqua privati, ut gravitas ejus specifica ad temperiem medium vel  $+ 16^{\circ}$  Thermometri CELS: fese haberet ad aquam destillatam ejusdem temperiei ut 8298 ad 10000. Heic jam vides qualitatem alkoholis, quo in sequentibus usi sumus experimentis. Quod ad acidum sulphuricum attinet, libram ejus, quale prodit venale, immissimus in vas

retortum; atque hoc, in loco modice calido, collocavimus, sum in finem ut vaporibus aqueis in illo forsan latentibus eo tutius evaporandi porta per plures dies pateret; quo vero certiores adhuc fieremus, omnes quantum fieri poscit vapores aqueos expelli, illud tandem servere per integrum horam curavimus. Hac re gravitatem ejus specificam, ad eandem supra memoratam temperiem, usque ad 1,8989 perduximus. Hancce per totum experimentum respicimus gravitatem acidi sulphurici adhibiti specificam. His præparatis, ætherem sulphuricum producere occupavimus, et hoc quidem consilio, unam libram acidi supra memorati sulphurici, æqualemque partem ratione ponderis spiritus vini rectificatissimi ita permiscuimus, ut calor inde haud exiguis oriretur, odorque valde gratus exhalaret. Omnibus itaque vasí recurvato infusis, clausisque quæ claudi deberent, retortam capellæ imposuimus arenariæ ignemque modicum adhibuimus. Proiecto jam ignis gradu ad + 80° Therm. Cels. guttas stillantes observavimus valde claras, alkoholi haud dissimiles. Sumta jam 8.<sup>a</sup> parte libræ unius, indicantibusque defluentem ætherem striis in fornice vasí recurvati, vas recipiens mutavimus. Præposito alio vase, ætherem swave odorantem, liquori anodyno Hoffmanni similem, guttatum stillare vidi mus. Sumta quarta fere partetotius ponderis vel 14 semuncias omnem fere extinximus ignem, quo facto, vas in quo continebatur æther abstulimus et os lagenæ membrana imposta obturavimus. Gravitas ejus specifica ad temperiem + 20° æqualis fuit, 0,8028. Ad hunc rectificandum sequenti modo processimus. E mutiate calcis quam optimè siccato, 6 sumsimus semuncias, quas in retortam, una cum 12 semuncias ætheris vitriolati, infudimus capellæque imposuimus arenariæ. Lutatis denique omnibus juncturis, præpositoque vase recipiente, subjecimus ignem. Evesto itaque caloris gradu ad + 68°, æther rectificatus distillare incepit.

incipit. Sumitis jam 8 semuncias, abstulimus vas recipiens, ne forsan particulæ aqueæ evaporatione transcederent. Heic jam vides ætherem, quem adhibuimus rectificatum, cuius gravitas specifica ad temperiem + 20° fuit æqualis 0,7072. Pereximus deinde ad ætherem muriatum formandum. D:nis BASSE et GEHLEN novam debemus methodum, quam hac occasione secuti sumus <sup>1)</sup>. Duas libras salis communis, regulari crystallorum forma gaudentis, in crucibulum, vehementiori ignis gradu expositum, injecimus, talem itaque per aliquod tempus liquefactum in vas frigidum infudimus, refrigeratum vero pulveravimus, et libram ejusdem unam in vas recurvatum immisimus, partes spiritus vini rectificatissimi, atque acidi sulphurici concentrati addidimus æquales, unius cuiusque nempe dimidiam partem libræ, inter se antea guttam ita mixtas, ne minimus inde sentiretur calor. Retortam deinde capellæ impoluimus arenariæ, præposuimusque recipientem, lutavimus etiam quam adcuratissime omnes aperturas præter unam, tubuli puta vasis recipientis, cui adjunximus tubum vitreum, qui in lagenam prope stantem, 4 semuncias alkoholis continentem, pendebat, ignem accendimus eumque tam modicum sustinuimus, ut arena in capella retortam circumdans non ultra + 60° Thermometro ostenderet, nihilo tamen minus guttas easque clarissimas breve post temporis spatum stillare vidimus. Distillata hoc modo quarta parte totius massæ vel 16 semuncias, omnem extinximus ignem. Refrigerata retorta, portiunculam distillatam iterum in eandem infudimus. Lutato denuo foramine, ignem subjecimus ut antea, mox ætherem clarum in vas recipiens, 6 semuncias aquæ distillatæ continens, guttatum stillare vidimus. Distillata jam octava fere parte totius massæ, recipientem mutavimus et æthe-

---

1) N. allg. Journ. d. Chemie 2 B. 2 Heft, p. 199 -- 206.

ætherem ab aqua, infundibulo separatorio, segregavimus clarum, svaviter odorantem omnibusque criteriis ad ætherem muriaticum pertinentibus præditum. Ne vero aliquid aquæ aut acidi peregrini in illo maneret, illum super 4 semuncias alcali vegetabilis, antea perbene calcinati, distillavimus, atque sic quinque semuncias ætheris optimi obtinuimus; cuius gravitas specifica, ad temperiem + 20° ante rectificationem, æqualis fuit 0,7077, post vero 0,7068.

## §. VIII.

Ut vero nitrás argenti, aqua distillata solutus, præstantissimam pandit viam detegendi minima acidi muriatici vestigia, illum hoc loco sequenti adhibuimus modo:

Exp. I. Aquam in scyphum vinarium infudimus distillatam, cui addidimus guttas solutionis argenteæ quasdam, ætherem muriaticum cum hac solutione misceri curavimus, quo facto, mixtura omnium primo cœrulea magis magisque lactescere cœpit, donec præcipitatum, forma mucilaginis albæ, fundum peteret vasis, quo facto, liquor superior inclaruit. Experimentum hoc perspicue indicare videbatur præsentiam acidi salis communis in æthere muriatico.

Exp. 2. Æquali portioni aquæ distillatae additis tot guttis argenteæ solutionis, quot in priori usi sumus experimento, adfudimus ætherem sulphuricum rectificatum. Præcipitationem illi, quam in priori experimento vidimus, simillimam statim observavimus, mixtura enim primo cœrulea, deinde lactescere cœpit, tum præcipitatum fundum scyphi petiit. Acidum sulphuricum quoque solutionem argenteam præcipitare posse, numquam infinitas ibimus, illa vero præcipitatio longe alio fit modo; instillatum enim acidum sulphuricum in solutionem argenteam, hanc quidem præcipitat, ita vero, ut solutio non lactescat,

sed graviora demittens grana salina, mox limpida fiat, hæc vero album servare colorem, etiam si radiis luminis exponantur, novimus. Quo itaque certiores adhuc fieremus, revera aedesse acidum muriaticum ambobus in ætheribus, ambos in fenestra posuimus scyphos, solutionem continentem præcipitatam, quo radiis lucis, vim suam in præcipitatum exercendi, anfa præberetur uberrima. Proximo die scyphos intuentes nostros, præcipitatum utrumque atrum invenimus, veramque constituere lunam corneam. Hæc phænomena me judice sufficient, pro demonstranda acidi muriatici præsentia ambobus in his ætheribus, tam muriatico quam sulphurico, super muriatatem calcis rectificato.

Exp. 3. Quo experiremur, quemnam in barytæ solutionem ederet effectum rectificatus noster æther sulphuricus, portiunculam quandam ejusdem in scyphum infudimus, eidem guttas quasdam memoratae barytæ solutionis, larga aquæ copia dilutas, addidimus, et observavimus plane nullam mutationem in mixto subsecutam fuisse.

Exp. 4. Comparationis ergo, pari modo nonnullas guttas solutionis barytæ aqua large dilutas, cum æthere sulphurico, tam eo, quem ex prima distillatione obtinuimus, quam eodem super solutionem potashæ causticæ destillato, misceri curavimus, et in utroque casu observavimus, pulverem granosum præcipitari et fundum vasis occupare, huncce vero multo uberiorem esse, ubi adhibetur æther non rectificatus. Ex his itaque tuto concludere posse nobis videbamur, et partes acidi sulphurici semper in æthere sulphurico latere, et hasce omnino desiderari in eodem æthere, cum super muriatatem calcis fuerit rectificatus, atque in hoc, vestigia satis evidenter acidi muriatici inveniri.

Exp. 5. Cum vero deinde guttas solutionis Barytæ, ætheri super muriatatem calcis rectificato, immediate admiscere-

Sceremus, mox illum turbari et præcipitatum deponere  
 vidimus album granosum. His visis, nascebatur primo a-  
 pud nos suspicio, quod æther hicce duobus inquinatus  
 esset acidis, muriatico nempe atque sulphurico, quam-  
 obrem dubii, anne superfluum acidum adhuc in æthere no-  
 stro lateret, hunc denuo super potosiam causticam, recti-  
 ficavimus. Peracta hac rectificatione, experimentum cum  
 solutione barytæ iteravimus, et invenimus, barytam ad-  
 huc præcipitari. Solutio vero argentea pari modo ac an-  
 tea, (vid Exp. 2) præcipitabatur. Parem omnino effe-  
 ctum, barytam nempe ætheri huic immediate additam  
 præcipitari, vidimus, cum ætherem huncce denuo super  
 muriatem calcis abstraheremus, quamvis jam tantam ad-  
 hibuerimus quantitatem hujus muriatis, optime et calci-  
 nati et pulverati, ut particulis ætheris quam minimis se-  
 cum illo conjungendi porta pateret, et ætherem ad infi-  
 mum caloris gradum quo emanare potest unquam disti-  
 laverimus. Itaque facile credidimus, acidum sulphuri-  
 cum ab æthere hac via separari non posse, nisi mox ex-  
 perti essemus, barytæ solutionem cum copiosa aqua dilu-  
 tam, nullam subire mutationem, si vel uberior quantitas  
 ætheris hujus ipsi admiseretur. Sic autem phænomeni  
 ratio nobis se aperuit. Animadvertentes, quod ad diffi-  
 cilius solubilia salia numerandus sit murias barytæ, suspi-  
 cati sumus, præcipitatum nuper memoratum, non sulphat-  
 em, sed potius muriatem barytæ, aqua qua solutum erat  
 privatum, sistere posse. Propterea ad hancce nostram su-  
 spicionem vel stabilendam vel refellandam, sequenti pro-  
 cessimus modo. Ætheri, cui solutionem barytæ immisi-  
 mus, quique pulverem salinum jam præcipitavit, portio-  
 nem aquæ addidimus distillatae, quo facto, præcipitatum  
 mox resolvi et e conspectu evanescere vidimus. Hinc  
 concludere fas esse arbitramur, hoc præcipitatum non sul-  
 phatem sed muriatem barytæ effecisse. Ex his allatis pa-  
 tet,

tet, ætherem sulphuricum sic rectificatum, nullum amplius exhibere vestigium acidi sulphurici, e contrario vero, e- undem aperte prodere acidi muriatici portionem laten- tem, proptereaque in rectificatione ætheris sulphurici su- per muriatatem calcis, vi duplicis attractionis, talem muta- tionem locum habuisse: ut acidum sulphuricum ætherem desereret et ad calcem transmigraret, cum simul muriati- cum acidum, cum calce antea conjunctum, hoc suo con- nubio privatum, partem ætheris rectificati efficeret.

